The pleasure of dedicating my thesis to my Father & presenting him with a copy has long been one of my most delightful anticipations, & one of the greatest objects of my ambition.

The work itself has nothing to recommend it; it has no novelty to boast of. — no elegance of style to adorn it, & was written with a view of complying with the Laws of the College in which I studied, not of displaying my powers as an Author. Look upon it therefore merely as a proof of my gratitude for your paternal

affection & kindness & as testimony of my love & esteem for you.

The gratification I feel in inscribing this little work to you arises from the opportunity it affords me of returning you my sincerest thanks for all the kindness I have received from you. —

As a reward for my labours I have obtained the highest honours in Medicine, & it is a source of much satisfaction to me to be thus enabled to prove that I have neither wasted my own time, nor abused the many advantages you have so generously allowed me.

That you may enjoy

health & happiness is the sincere wish & earnest prayer of

Your affectionately attached Son,

R. B. Howard

Manchester Infirmary

Augt. 27. 1829.

Charles Howard Esqr

Melbourne Farm

'9/n

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

HYDROCEPHALO ACUTO;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

RICARDUS BARON HOWARD,

CHIRURGUS,

Anglus.

III. ID. JULII, HORA LOCOQUE SOLITIS.

Hic enim breve spatium est, intra quod, si auxilium non profuit, æger extinguitur.—A. CORN. CELS. *De Medicina*, lib. iii.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXIX.



PATRI SUO DILECTISSIMO

CAROLO HOWARD, ARMIGERO,

HOC TENTAMEN MEDICUM,

AMANTISSIME CONSECRAT

RICARDUS BARON HOWARD.

PATER mi carissime, libenter, crede, hanc arripio occasionem tibi parentum optimo laboris et studiorum primitias dicandi, et, quantum tibi debeam, non ob vitam tantum concessam, sed eandem etiam a te sedulo servatam et probæ doctrinæ disciplinis imbutam, publice testandi. Tuorum erga me beneficiorum memoria usque vigebit sempiterna.

Ut valetudine rebusque secundis, et felicitate summa fruaris, ut serus in cœlum redeas, ab imo corde precor. Vale.

Functionis igitur, cujus ratio in sanitate tam atra caligine obscuratur, morbos parum intellectos esse oportet. Suos tamen morbos habet, graves, molestos, miserandos, omni attentione dignos; nimirum qui mentem ipsam, qua cæteris animalibus præstamus, vitient, et inutilem reddant.—GREGOR. *Conspect. Med. Theoret.* cap. x.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

HYDROCEPHALO ACUTO.

Auctore Ricardo Baron Howard.

Si morbos eo attentius spectare, quo nobiliora vitæ instrumenta laborarent, oporteret, vitia cerebri primas sibi partes plane vindicarent, hoc enim et mentis judicantis animique imaginantis sedes est, et ab eo actiones omnes tam corporis, quam animi pendent, ejusque potentia sensus omnes constituuntur.

Quum has gravissimi momenti functiones perpenderimus, facile intellectu est, quare tanti sint tamque diri ejus vel læsi vel multum a statu sano

deflectentis effectus; ut vires et animi et corporis inde pereant, miserque, nisi morte quidem liberetur, cum sibi, tum aliis inutilis ætatem degat infelicem. Quin et, si vel levissime spectemus, quanto opere Natura illud ab injuriis defendendum curaverit, id, ut vivere omnino possimus, necessarium esse perspicuum erit: namque non modo membranis tenacissimis est involutum, sed ossea quoque theca adversus læsiones ab externo inferendas mira arte fabricata inclusum.

Cerebri morbi haud minus numerosi, quam graves, existunt, atque, ob tenellam ejus structuram, actionemque causarum, quæ hanc perturbare possint, fere perpetuam, frequentissime urgent; neque enim huic sunt sui solummodo morbi, verum etiam, siquando corpus reliquum aliquid gravius sentit, hoc, ob consensum arctumque nexum, plus minus mali universi particeps evadit.

Hujus quoque, præ cæteris omnibus corporis partibus, vitiorum inquisitio difficilior est; cujus scilicet organi hactenus sani functiones partiumque diversarum usus ignoti sunt, ejus profecto morbidi indicia vix melius intelligentur. "The brain, the most noble of organs, the key of the entire animal organization, has, for nearly three thou-

sand years, been a subject of continual study and meditation. Successive ages have produced many celebrated men, who have anxiously endeavoured to unravel its structure: they have neglected, as it would appear, no method, no means, which seemed proper to unveil its texture and use. Yet, notwithstanding the efforts of so many celebrated writers, its intimate structure has remained unknown, its organic connexions are shadowed from our view, and the functions of its different parts are involved in obscurity. *"

Hydrocephalus mihi in hac dissertatione perscribenda argumento erit, morbus scilicet observatione sedula dignus, sive quos aggrediatur spectamus, sive indicia ejus, decursum et eventum contemplamur. Adeo quidem lethalis existit, ut COINDET viginti millia in Gallia ei quotannis succumbere affirmaverit †.

Pro sede humoris effusi, in Externum et Internum diductus fuit; necnon in Longum et Acutum; hic Acutum tantummodo, si venia sit, aspiciam.

---

* Anatomy of Brain by TIEDEMANN, translated by BENNET (Introduction).

† Memoire sur l'Hydrencephale, p. 79.

HISTORIA MORBI.

Hydrocephalus Acutus, nempe "Apoplexia Hydrocephalica" Doctoris Cullen, a viro illo jure celeberrimo, in Classe "*Neuroses*," et Ordine "*Comata*," in suo Nosologia Methodica, collocatus est, et talem accepit definitionem: "Paulatim adoriens; infantes et impuberes, primum lassitudine, febricula, et dolore capitis, dein pulsu tardiore, pupillæ dilatatione, et somnolentia afficiens."

Quibuslibet auctorum apud Græcos et Romanos veterum hunc morbum notum esse non apparet; nemo saltem ex iis eum rite depinxit, quanquam Hippocrates, Celsus, Galenus, et cæteri, formam externam et vetustam descripserunt, et quidam Hippocratem internam acutam novisse, vel saltem signa istius adumbrasse monent *. Verisimile est Celsum quoque eandem his verbis perstrinxisse: "Contra, si caput febre continenti dolet, neque quidquam reddit,

* Vide Hippoc. De Morbis, lib. ii. Morb. a cap. orien.

malum atque mortiferum est; maximeque id periculum est pueris, a septimo anno ad quartum decimum *." Non autem quasi morbus discretus ante annum 1768^{vum} cognitus est, quo tempore a Doctore WHYTT plenam accepit descriptionem †. Postea tamen a multis medicis, præcipue a FOTHERGILL, QUIN, RUSH, CHEYNE, CARMICHAEL SMYTH, MONRO tertio, COINDET, et GOLIS, hoc argumentum, sedulo inquisitum et accurate tractatum fuit.

Nullam fere præter primam ætatem hydrocephalus invadit, etiamsi non desunt exempla ubi adulti fuerunt correpti; sæpissime vero annum secundum inter et decimum occurrit; quibusdam in exemplis maturius occupat, in nonnullis etiam

---

* CELSUS, De Medicina, lib. ii.

† Hic morbus a quodam Paisley Glasguensi in "The Edinburgh Medical Essays," vol. iii. et etiam a M. PETIT (in "Mémoires de la Societé Royale des Sciences") memoratus est, ante editum Doctoris WHYTT opus; et in operibus HIERONIMI MERCURIALIS, SENNERTI, THEOPHILI BONETI, WILLISII, LIEUTAUD, et MORGAGNI inveniuntur loci, quales plane Hydrocephalum acutum perstringunt; sed Doctor WHYTT sine dubio primus medicorum inquisitiones eo direxit."

congenitum fuisse malum reperitur. Sæpe dentibus enascentibus, accedit, et notatu dignum est, infantes, quibus vividum contigit et præcox ingenium, ei maxime patere visos esse, ex eo fortasse, quod in his cerebri actio magis sit intensa, ideoque major sanguinis copia eo conferatur. Hinc multi, quos sæculo suo decori fore, generique humano beneficia magna quædam mentis suæ dotibus eximios collaturos esse sperare fas esset, fato tanquam inevitabili rapiuntur. Nil igitur intentatum relinquere licet, quo malum tam horrendum medicinæ viribus magis mancipatum fiat.

Nullus præ hoc insidiosius obrepit; namque inter initia vulgo ejus notæ adeo leves sunt, ut sæpe prorsus negligantur, nec raro, ob similitudinem cum multis aliis mediocribus affectibus, quibus prima ætas adeo frequenter afficitur, tantum progressæ sunt, antequam vera morbi natura detegatur, vel medicina opus esse credatur, ut hæc sero adhibita inanis omnino fiat.

In hoc vitio describendo Dr Whytt illud in tria divisit tempora, varia præcipue pulsuum conditione notata; huic divisioni cæteri scriptores assenserunt. Dr Cheyne primum tempus sensus aucti, secundum sensus imminuti, tertium

denique paralyseos sive convulsionis, appellavit *.

Tempore primo, infans per dies duos tresve solito hebetior observatur, morosus et irritabilis evadit, cibumque minime appetit; ludis solitis parum gaudet, comitesque sæpe, facile fatigatus, ut decumbat aliquo, relinquit. Sanus faciei aspectus minuitur, oculorum acies est obtusa; incessu titubat, et sæpe vertigine molestus habetur. Brevi de dolore in capite, inter scapulas et in aliis aliquando corporis partibus, conqueri incipit. Pulsus celer fit et plenus, ad ictus plerumque 110 vel 120 in sexagesima horæ parte micans; sunt præterea lingua alba, arida; cutis sicca, calida; arteriarum temporalium pulsatio intenta et magna jactatio; quæ omnia sub vesperem ingravescunt. Canalis alimentarii quoque functiones perturbatæ sunt; alvus est plerumque astricta, aliquando vero etsi raro fusa; dejectiones primo aspectum præ se ferunt argillaceum, sed, morbo progrediente, coloris profunde viridis, spinaciæ concisæ instar, crassitudinisque glutinosæ fiunt,

* Essay on Hydrocephalus Acutus, p. 25.

odorisque graveolentis, maxime si hydrargyri præparatis coactæ fuerint; urina parca et turbida, vulgo aliquid album quiescens demittit. Ventriculi mobilis notæ sunt nausea et vomitus, qui nonnunquam sub finem hujus temporis, omnibus ingestis statim rejectis, importunissime urget.

Sensus omnes acutiores fiunt; retina lucem acerrime sentit, et pupilla arcta est; sonus vel levissimus auditur; caput, præ reliquo corpore magis calet, et infans usque situm mutatum quærit; facies rubescit; somnus perturbatur; spiritus abnormis est et gravis; halitus oris odorem fœtidum edit, quem auctores nonnulli huic morbo proprium esse habent *.

Quum hæc signa nunc brevius, nunc diutius perstiterint, insigni modo mutantur, et in *Tempus secundum* currunt. Pulsus in priori celer et plenus, tardus et abnormis jam factus, infra normam solitam est aliquando, sed levissimo quidem nisu ad numerum duplicem intenditur. Capitis dolor primum ingravescit, tandem vero se remittit; infantem jam erecto corpore sedere piget;

---

* Whytt on Hydrocephalus Internus, p. 732.

in lecto decumbere mavult, dolorem enim ex altero situ sentit; et positum perpetuo mutandi cupiditas solicita nunc desiit. Sensus, præter auditum, qui ad tertium usque tempus plerumque acutissimus manet, hebetiores fiunt; manus aliquid prehensura tremit, et pupillæ patulæ hiant. Parvulus uno vel utroque oculo ad dimidium clausa cubat; strabismus, alterna cum visu obscuro et duplici vice, occupat, et sub finem hujus temporis haud raro laborantes prorsus cæci fiunt. Supercilia etiam contorquentur, brachia et crura jactantur, spasmique diversas corporis partes agitant. Alvus est pertinaciter astricta, et urina sæpe diu retinetur; respiratio cum suspiriis crebris absolvitur, fit magis abnormis atque difficilis, halitus gravius fœtet.

Vultus vice alterna pallescit et rubescit; corpus macie confectum est, et cutis aret; sed partibus quibusdam, cæteris arentibus, sudor erumpit. Somnolentia jam obtinet, cui interponuntur excitationes subitæ, dentium stridor, et brevia doloris cum delirio intervalla; ob quæ parvulus infelix miserandos edit ejulatus, et simul capiti manus sedem doloris commonstrans apponit. Plus quam solet, cibi, hoc tempore, quicquid

scilicet offeratur, ægrum avide arripere et devorare annotatum est *.

Tempore tertio, omnia signa cerebri affecti graviora sunt; et, quæ effusionem in eo certius demonstrant, accedunt; stupor major est, caputque super pulvinari huc illuc volvitur.

Pulsus iterum mutatur, et adeo celer est, ut vix numerari possit; oris lineamenta collapsa sunt, pallore simul, nisi forsan rubore hectico alterutram genam occupante, offuso; oculi sunt suffusi, et pupillæ patulæ sese, vividissima etiam luce admota, non contrahunt.

Loquelæ potentia periit, et non nisi difficulter aliquid devoratur, subsultus tendinum supervenit, et tanta vi nonnunquam musculi, qui digitos flectunt, vellicantur, ut difficillime idcirco pulsus numeretur; alvus et urina inscio ægro redduntur; maculæ interdum truncum et membra distinguunt, et manus pedesque frigescunt. Os ad unum latus distrahitur, et corpus dimidium paralysi resolvitur, dum alterum convulsione laborat, humore tenaci summa cutis madet; oculi

* Quin on Dropsy in the Brain.

in orbitis circumvolvuntur, et manu altera infans auras inanes findit.

Nunc tandem comate oppressus cubat, aliquando delirio agitatur, spiritum suspirantem et difficilem comitatur stertor, convulsiones insequuntur, mors demum acerba finem miseriis imponit.

Horum singulorum temporum spatia sunt incerta, et a variis auctoribus varia proposita ; nunc scilicet intra paucos dies finita, nunc ad sex etiam hebdomadas porrecta : spatium morbi solitum fortasse intra duos tresve hebdomadas continetur. In plenis et robustis morbus ad finem velocissime decurrit, nec raro ante effusionem factam ægros e medio tollit ; debiles vero lentius malum tabefacit.

Quanquam in iis, quæ lethalem exitum habent, exemplis, talis est plerumque vitii decursus, sæpe haud parum variat, præcipue quod ad symptomatum ordinem et spatium attinet, quorum nonnunquam quædam insignissima prorsus absunt.

In quibusdam pulsus parum vel nihil per totum morbum mutatur ; in aliis, quanquam revera accidit pulsus in tempore secundo describendo memoratus, per breve adeo spatium perstat,

ut omnino negligatur; et pulsuum denique varietas magna est. "Every attentive observer," ait Doctor CHEYNE, "must have found the pulse slow and quick, and then again slow, constantly varying towards the end of the disorder *."

Aliquo morbi tempore interdum omnia indicia graviora sese aliquamdiu remittunt, unde spes blandissima amicis affertur, nimis sæpe tamen irrita futura, namque ista omnia cito et vehementiora recrudescunt.

Aliquando inter initia ipsa convulsiones accesserunt, ægrumque intra paucos dies rapuerunt; aliquando contra lente admodum obrepit morbus; ægro scilicet de capitis dolore et levibus pyrexiæ signis per diem unum alterumve conquerente, dein solitam suam sanitatem recipiente, hisque notis bis terve alterna vice evanescentibus et regressis donec tandem vehementiores occupaverint.

Nonnunquam pupillæ ab initio ad finem usque nihil affectæ †, aliquando vero perpetuo contractæ ‡, manent.

---

* Essay on Hydrocephalus Acutus, p. 24.

† MONRO on Morbid Anatomy of Brain, vol. i. p. 96.

‡ COINDET sur l'Hydrencephale, p. 25.

Quum tertium Hydrocephali tempus accessit, vitam non diu protractam fore ægrum esset expectare; sæpe tamen eventum exitialem per multos dies morari videmus, quamvis adeo sæva sunt symptomata, et infans tandem exhaustis viribus deperire apparet.

Ab auctoribus diversis annotatum est, infantem, ante mortem, postquam delirium, convulsiones, et cæcitas supervenerint, mente iterum et visu pollere aliquando, et cibum potumque assumere posse.

Doctor Monro, Anatomiæ et Chirurgiæ in hac alma Academia Professor, valde acutam hujus morbi speciem descripsit; quæ, uti dixit ille, rarissima est, derepente impetum facit, velocissime cursum peragit, et intra dies tres, quatuor, vel quinque lethalis evadit.

Nullus prægreditur capitis dolor, nulla somnolentia, nec stupor, nec nausea, nullus vomitus, nulla cujuslibet corporis partis paralysis, nulla denique generis nervosi functionum laborantium indicia. Eodem, quo cynanche trachealis, modo incipit, et vix ab ea dignoscitur. Parvulus nocte expergiscitur, valde agitatus, rubore intenso vultum suffusus; pulsu celeriter saliente, et voce

rauca inter inspirandum, ut in cynanche tracheali, sonante.

Hæc species cum tempore, quo dentes oriuntur, et mobilitas nervosa insignis adest, nexu quodam conjungitur.

Patefacto cadavere, præter aquam in ventriculis detectam, par nervorum octavum rubrum, pia mater, quæ eorum origines amplectitur, inflammata, et vasis turgidis cincta, recluduntur.

Symptomata a pare nervorum octavo irritato pendere videntur *.

DE MORBI CAUSIS.

Causarum Prædisponentium Scrophula semper præcipua æstimata fuit, quippe quia in familiis, ubi hæc suberat, hydrocephalus potissimum occurrere observatus est; ideoque circa eam ætatem hic plerumque apparet, qua scrophula, si intus lateat, se aliquo modo in conspectum dare solet. Doctor Cheyne hæc habet verba: " I

* Vide Monro on Morbid Anatomy of Brain, vol. i. p. 70.

can affirm, from extensive and careful observation, that not only are children, in whom scrophula is active, very liable to hydrocephalus, but conversely, that all the symptoms of hydrocephalus are sometimes exchanged for a scrophulous disease *." Juniores vero, in quibus nulla labis strumosæ nota potest detegi, quique prorsus sani sunt, ab eo immunitate minime fruuntur. Ob magnam cerebri infantum pro rata parte molem et pondus, majoremque ideo sanguinis copiam eo delatam, ætas prima jure pro causa prædisponente habetur. Mollities quoque cerebri hoc tempore morbum frequentiorem fortasse reddit. Infantes utriusque sexus pariter obnoxii sunt, sed circa ætatem puberem vel paulo ante eam, puellæ quam pueri, sæpius, ut COINDET ait, ad annum ætatis duodecimum, illarum octonæ pro singulis pueris, afficiuntur †.

Hydrocephalum morbum esse hæreditarium inter plerosque, credo, qui de eo scripserunt, constat. " I have attended," ait Doctor CHEYNE, si verba hujus auctoris æstimabilis citare liceat,

---

* Essay on Hydrocephalus acutus, p. 30.

† Mémoire sur l'Hydrencephale, p. 75.

" two families, in one of which four children, and in the other three, died of this disease; and I have heard of an unfortunate father who lost eleven children of hydrocephalus *."

Causæ Excitantes.—In constitutione jam ad hoc malum proclive facta, causæ levissimæ excitare valent; et quodcunque cerebrum irritare, vel sanguinis impetum ad id auctum facessere solet, causa excitans fieri potest. Hinc inter causas excitantes ictus aliasve injurias capitis †, dentitionem, usum potuum meracorum inconsultum, et animi affectus, recenseri reperimus.

Ex his autem causis frequentissimæ fortasse sunt canalis alimentarii aliorumque abdominis viscerum vitia; tam arctus enim per nervos cerebrum inter et hæc nexus et consensus intercedit, ut aliqua horum noxa illud brevi afficiat.

Hepar nexu arcto cum cerebro conjungi, ex eo plane patet, quod capitis injuriæ plerumque bilis vomitum, et nonnunquam jecoris ab-

---

* Vide op. cit. p. 30.

† Vide apud Pott seri in ventriculos post injurias capitis effusi exempla.

scessus excitarunt, et apoplexia icterum insecuta fuit. Hinc, quoniam functiones hepatis sæpe, hydrocephalo urgente, turbatæ sunt, hæ earum conditiones ejus causæ excitantes ducuntur, quamvis aliquando, cerebrum an hepar prius fuerit vitiatum, comperire haud facile erit. Dr CHEYNE ait, quod ubi, recente adhuc hydrocephalo, regio jecoris manu fuit tractata, parvuli multo magis queruntur quam ubi alia quælibet pars abdominis comprimitur *.

In quibusdam morbus, a quadam exinanitione diu solita, ex auribus maxime, vel partibus prope caput, subito suppressa, arcessitus fuit. Morbis aliquot acutis etiam, velut Pertussi, Scarlatinæ, aut Variolæ, supervenit; aliquas quoque febres, ubi nimia actio in vasis cerebri aliquamdiu perstitit, insequi potest; minime rarum est, profecto cadavere post febrem continuam explorato, effusionem in cerebri ventriculis detegere. Sæpe autem nullam causam satis notabilem comprehendere possumus.

In Causa Proxima Hydrocephali acuti ex-

---

* Vide Op. cit. p. 46.

ploranda multum operæ collocatum est, et de ea medici olim et adhuc parum inter se consentiunt. Quoniam vero a causa proxima morbi rite cognita spes eidem rite et feliciter medendi primum petenda est, ut ea pro comperta sit, summi interest, "occursurum enim vitio dicunt eum, qui originem non ignorarit *."

Doctores Whytt, Fothergill, et Carmichael Smyth, hunc morbum hydropem esse habent; Darwin eum absorbentium debilitati tribuit. Ex auctoritate Doctoris Quin, "Hydrocephalus always owes its origin to a morbid accumulation of blood in the vessels of the brain, sometimes proceeding to a degree of inflammation, and generally, but not always, producing an extravasation of watery fluid before death †."

Doctores Rush, Yeats et Golis idem malum ad cerebrum inflammatum referunt. Coindet etiam propriam inflammationis speciem æstimat, et ait, "Je la (l'hydrencephale) considère comme une inflammation des parois des ventricules d'une nature particulière, différente de l'inflammation

---

* Celsus, De Medicina, lib. i.

† Quin on Dropsy in the Brain, p. 40.

flegmoneuse, dont l'epauchement aqueux est la plus frèquente terminaison, mais non pas l'unique *."

Doctor CHEYNE talia tradidit: "Hydrocephalus appears to me to consist of a diseased action of a peculiar kind. What this is, we can as little explain as we can the nature of the scrophulous or syphilitic action †." Insuper idem ait auctor: "It is obvious, that, before the dropsical effusion takes place, the condition of the part as it exists in health, must be altered; and this antecedent condition of the part is the disease. Accelerated circulation as certainly precedes the effusion of lymph, unless arising from a strangulation or rupture of a lymphatic, as it does the formation of purulent matter ‡." Idem porro hæc proponit: "I would venture to submit the following as a more consistent view of the pathology of hydrocephalus. That in this disease there is produced a venous congestion, in addition to, and probably arising from, the increased arterial action; that the effusion of serous fluid arises from the venous congestion; that this effusion

---

* Mémoire sur l'Hydrencephale, p. 153.

† Op. cit. p. 82. ‡ Ibid. p. 57.

has a strong tendency to counteract the baleful effects of the increased action, and to retard the fatal termination of the disease; of course, that the effusion into the ventricles is not the cause of the violent symptoms; and that the increased arterial action, though perhaps varied, does not cease when the congestion and effusion have taken place *."

De hujus morbi pathologia Doctor ABERCROMBIE opinionem suam talibus verbis proposuit: "I think we may now consider it as ascertained, that this formidable malady is not a mere dropsical affection, but an inflammatory disease, terminating by effusion; that many of the leading symptoms are not connected with the effusion, but with the inflammatory condition which goes before it; and that without any effusion it may be fatal, with all the symptoms which have usually been considered as characteristic of hydrocephalus †."

Doctor MONRO, quem in causis morborum ex anatomia partium morbidarum (optima scilicet

---

* Op. cit. p. 59.

† Vide ABERCROMBIE on Diseases of the Brain, p. 4.

verum exquirendi ratione) eruendis indefessum omnes noverunt, hæc de causa hujusce mali proposuit: " From what has been above stated respecting the origin, causes, and appearances on dissection, instead of regarding hydrocephalus as generally connected with inflammation, it is rather to be imputed to scrophula, or to those causes which occasion a derangement in the circulation of the blood through the brain, and through the bowels of the chest and belly, than to inflammation of the brain, or what has been called subinflammation by authors, and which acts primarily on a scrophulous habit *."

Doctor HOME, Medicinæ Practicæ in hac Academia Professor, in suis prælectionibus hydrocephalum cerebro inflammato refert.

Plane comprobatum fuit omnia indicia, quæ cerebrum sero effuso compressum monstrare æstimantur, nonnunquam adfuisse, quanquam nihil effusum erat, ut sectio cadaveris testatur: ejusmodi quoque exempla a RUSH, CHEYNE, ABERNETHY et QUIN, narrantur; et sicubi morbus velocissime ad finem decurrerit, humor in ventri-

* Morbid Anatomy of the Brain, vol. i. p. 116.

culis post mortem repertus omnino exiguus fuit, quamvis cuncta hydrocephali symptomata bene notata fuerint; his vero in exemplis cerebrum omnes actionis vasorum auctæ notas ostendisse constat, et, si diutius vixisset æger, effusionem revera fuisse accessuram, verisimillimum est.

Nec minus constat effusionem haud ita parcam in ventriculos aliquando accidisse, etsi nulla, quæ istiusmodi statum cerebri indicare solent, signa sese prodiderint. Doctor MONRO ait, " I have seen several instances, in which a considerable quantity of water had been collected within the ventricles of the brain, and in which these ventricles had been considerably enlarged, notwithstanding which, there were no peculiar symptoms which indicated its presence *." Historiæ similes a MORGAGNI et QUIN traditæ sunt.

Hinc, quam sint abnormia, quam incerta vitiorum cerebri indicia, cernitur. Hæc aliquando gravia inter vivendum urgent, et parum morbidi vel nihil post mortem oculis inspicientium inibi recluditur. Aliquando contra levia ista sunt, sed magna fabricæ organi læsio in cadavere detegitur.

* Morbid Anatomy of Brain, vol. i. p. 95.

Omnia signa, quæ cerebrum humore effuso compressum indicare habentur, adesse posse, nec quamlibet effusionem postea reperiri, necnon ista interdum abesse, dum humor multus lateat effusus, apparet.

Hæc symptomata igitur pro certis effusionis indicibus non licet habere, sed quoniam plerumque hanc comitantur, talem subesse conditionem vehementer suadent.

Morbum, de quo agitur, haud vulgo, ut cæteri hydropes, a debilitate oriri, mihi, si opinionem proferre fas est, ex eo verisimile videtur, quod in validis et alioquin sanis accidit, quod inter initia actionis inflammatoriæ signa edit, post mortem inflammationis vestigia conspiciuntur, et raro universum hydropem sibi comitem habet. Etsi quidem, ubi longæ ægritudini, qua æger debilitatus fuerit, supervenit, indolem hydropicam induit, tamen pro morbi pristini symptomate aut sequela potius haberi debet.

Omnia primi temporis hydrocephali acuti symptomata iis similia sunt, quæ inflammationem cerebri maxime ipsius indicant, leviora scilicet quam meningum inflammatarum indicia; membranarum enim inflammationem comitantur dolor acu-

tus, ardor ingens, pulsus celer, plenus; sed parenchymatis inflammati notæ sunt dolor lentior, ardor minor, pulsus mollior, decursus morbi segnior. Doctor CULLEN hæc tradidit: "I am here, as in other analogous cases, of opinion, that the symptoms above mentioned of an acute inflammation, always mark inflammation of membranous parts; and that an inflammation of the parenchyma or substance of viscera exhibits, at least commonly, a more chronic affection *." Inde pateat, quam affinia sint inter se hydrocephali acuti, et inflammationis cerebri parenchymatis symptomata; nec absimile esse arbitror, morbum ibi incipere, dein ad meninges serpere, membranæque ideo, quæ ventriculos investit, affectæ vasa humorem inibi repertum profundere. Hunc morbum a substantia cerebri laborante oriri, ex eo quoque verisimile esse opinor, quod "ramollissement," quam plerique pathologiæ periti ex inflammationis sequelis unam esse ducunt, haud raro, capite post hydrocephalum acutum recluso, detegitur †. Atque, ut Doctor MASON GOOD diserte annotavit, "In

---

* First Lines of Practice of Physic, vol. i. p. 128.

† Vide ABERCROMBIE on Diseases of Brain, p. 132.

primary inflammation of the substance of the brain, the meninges are more disposed to partake of the affection, either by continuous action or sympathy, than the substance of the brain is in primary inflammation of the meninges *."

Itaque auctor jam citatus morbum, de quo agitur, pro varietate inflammationis cerebri substantiæ æstimans, nomen ei dedit " Empresma Cephalitis Profunda," quanquam haud secus ac Doctor CULLEN, nulla esse signa, quæ semper inflammationem cerebri ipsius ab eodem meningum vitio satis distinguant, fatetur.

Ex jam dictis verisimillimum videtur, hydrocephalum inflammationem esse cerebri in effusionem seri desinentem; quæ quidem inflammationis exitus bene notus est; cujus rei in pectore hydrothorax, in abdomine ascites, familiaria sunt exempla; quum inflammationem vehementiorem lymphæ coagulabilis et puris effusiones consequantur. Ista inflammatio fortasse mutata esse queat, quatenus in junioribus accidit, et diathesi strumosa, quæ ambo ad morbum proclives reddunt, sæpius quidem indolem lentam strumosam, quam acutiorem participat.

* Study of Medicine, vol. ii. p. 323.

Præter inflammationem, ob alias quoque causas effusio in ventriculos fieri potest; aliquando nimirum ob summam infirmitatem, vel aliquod sanguinis reditum e capite impediens, veluti tumores in cerebro vel collo, vitia cordis, majorumve vasorum, &c. Hisce vero in exemplis non pristinus est morbus; sed ab altero priori pendet. Quibusdam in exemplis cum vasis cerebri et meningum turgescentibus, inflammatione nondum cæpta, necti videtur; inter has vero conditiones discrimen interponere operis difficillimi erit.

DE DIGNOSCENDI RATIONE.

In tota medicina nihil fortasse difficilius est quam morbos inter se rite dignoscere; neque ullus, quam is, qui nobis jam argumento est, ægrius a sui similibus discernitur. Namque nullam notam isti soli propriam novimus, et multæ, quæ plane indicare existimantur, sæpe desunt; nec, nisi longa symptomata serie summa attentione perspecta, discrimina idonea detegi possunt.

Inter initia quidem hydrocephalus quædam alia mala adeo refert, ut minime facile sit distin-

guere; quum vero spes fere unica parvuli vitam conservandi a vera morbi natura quam maturrime cognita pendet, summi refert, ut ab initio ipsissimo pro comperto habeatur. Sub finem, cum effusionis signa accessere, de natura mali vix errare possumus; hoc tempore vero, ni fallor, sero nimis diagnosis instituitur, et inanis erit medicina omnis, et fatum ægrotantis dolendum, et artem parum perfectam fatendum sæpe erit. "For this disease," ait Doctor CHEYNE, "which unfortunately he too often meets with, the physician must be ever on the watch. He ought never to hear a child complain of headache, without procuring the history previous to this complaint, and comparing it with every ambiguous symptom *."

Signa quæ hydrocephalum acutum inter initia maxime insigniunt, sunt vomitus semel bisve die accidens; dolor artuum, vel aliarum corporis partium, capitis dolor nunquam se remittens, motu capitis celeri auctus; caput ipsum præ reliquo corpore magis incalescens; lux evitata; alvus astricta, acerrimis etiam medicamentis vix aut ne

* Op. cit. p. 89.

vix quidem movenda; spiritus suspirans, abnormis *; halitus oris gravis; dejectiones alvi viridissimæ; vultus dolorem internum indicans; ponderis in capite sensus; oris color solitus fugax; incessus titubans; urina demum parca. In morbo paulo provectiori, observanda sunt pulsus tardus, abnormis, pupillæ patulæ; corpore erecto dolor excitatus, aliaque quæ certius veram morbi naturam commonstrant.

A *Febre* hydrocephalus dignosci potest, quatenus hic lentius accedit. Major ventriculi mobilitas est, vomitus frequentior, dejectiones glutinosæ et nigricantes sunt in hydrocephalo, necnon dolor frontis, et a luce aversatur æger. Adventum febris comitatur horror, quem sequitur calor auctus, per totam febrem perstans.

Acuta Febris infantum Remittens hydrocephalum præ aliis maxime refert; sed in illa re-

---

* Hoc indicium COINDET multi ad discrimen instituendum momenti existimat, et talia de hac re tradidat, "Elle (la respiration) est interrompue par un cri ou soupir plaintif que j'apellerai hydrencephalique, parce qu'il ne se retrouve dans aucune autre maladie, et qu'il aide puissamment encore le diagnostique," p. 16.

missiones videre est regulares et perfectas; neque istam comitantur dolor capitis ingens, lucis intolerantia, et dejectiones peculiares, quæ hydrocephalo laborantibus contingunt. Per hanc febrem denique universam pulsus celer est, et inflatio intestina occupat.

Verminatio fortasse, quam quilibet præterea morbus, per errorem pro hydrocephalo sæpius habetur. In ista vero alvus plerumque soluta est, dejectionesque redduntur mucosæ et glutine quodam obtectæ; in hydrocephalo contra alvus pertinaciter astricta est. In verminatione, porro, cibi appetentia voracior est; labrum superius tumidum, et abdomen durum et turgidum, quod in hydrocephalo semper collapsum esse Doctor Golis docet, quodque insigne inter morbos discrimen habet *. Doctor C. Smyth quoque abdomen in hydrocephalo vulgo planum esse annotavit. Eo facilius verminatio ab altero malo discernetur, quod in illa nullus dolor capitis est, nulla lucis intolerantia.

Quoniam verminatio sæpe est excitans hydro-

---

* Vide Treatise on Hydrocephalus Acutus by Golis translated by Gooch, p. 24.

cephali, utrumque malum haud raro simul eundem occupat; neque ideo, si vermes per alvum dejiciantur, hydrocephalum nullum esse dijudicare fas est.

In *Dentientibus* multa indicia occurrunt aliquando notis hydrocephali similia; sed dolor in ore, gingivæ inflammatæ tumidæque, fluxus salivæ scatens, alvus solutior, caput dolore vacuum, ne in errorem incidat aliquis, vetant.

Tabis Mesentericæ quædam sunt indicia in hydrocephalo quoque observanda: sed glandulæ mesentericæ tumefactæ, ob maciem magnam, tactu percipiendæ, chylus in dejectionibus apparens, nullus capitis dolor, nullaque lucis aut soni, ut in hydrocephalo, intolerantia urgentes, satis morbum utrumque distinguunt.

DE PRÆSAGIO.

Quænam prognosis in hoc malo sit edicenda a tempore maxime, quo morbi natura vera est detecta, pendebit; si enim non ante arcessitus fuerit medicus, quam aliquamdiu perstiterit morbus, prognosis semper infausta erit. Sin contra ad

initium ipsissimum a medico petitur consilium, nec signa gravissima sunt, non statim infelicem eventum prædicere oportet. Rarissima sunt morbi post adventum temporis secundi sanati exempla; et in tertio spes fere nulla superest. "The idea, however, of the incurable nature of the disease," ait Dr Yeats, "has arisen from the early symptoms not being understood, from their being too frequently considered as the trifling ailments common to children unconnected with what subsequently occurs; and from the appearance of these symptoms at times, at distant intervals, with apparently intervening health, before the very formidable signs of an affected brain supervene *."

Si in *tempore inflammationis* symptomata, idoneis adhibitis remediis, subacta fuerint, neque per duos tresve dies revertantur; si vires haud fractæ sint, nec vomitus frequens, et alvus facile medicamentis movenda, faustum eventum sperare licet. In tempore inflammationis sudor lenis sponte exudans bonum signum est, partium vero sudationes infausto omine fiunt.

---

* Yeats on Water in the Head, p. 10.

Quum hydrocephalus cum aliis morbis conjungitur, iisve supervenit, spes curandi plane minor erit; sicubi cum organica cerebri fabrica læsa conjungitur, infelicia prædicere oporteret; nulla tamen istiusmodi conditionem inter vitam detegendi ratio competit.

Quibusdam in exemplis morbi velocitas et simul vehementia nonnihil fuerunt cohibitæ, isque in vetustum capitis hydropem, epilepsiam, fatuitatem, hemiplegiam, vel denique cæcitatem desiit.

Num omnino humor effusus a ventriculis cerebri absorberi possit, parum dubii existit; quotidie humorem a cavis serosis ventriculorum similibus fuisse absorptum reperimus; et, quamvis non digito monstrare valemus, vasa absorbentia per cerebrum, uti per cæteras corporis partes, diffusa, ratio non deest, cur talia revera subesse credamus. Hoc suadent præcipue sanguinis effusiones post apoplexiam evanescentes, quæ satis probantur extitisse, repertis scilicet iis, quæ cysti apoplectici vocantur, quæque vestigia sacci, ubi sanguis effusus latuit, esse ducuntur *. Quin et,

* Vide Baillie's Morbid Anatomy, vol. ii.

si nulla absorbentia cerebro inesse concederetur, absorptio per venas, ut Magendie aliisque pathologiæ cultoribus placuit, fieri posset.

Num verisimile sit tamen humorem a ventriculis absorptum fore cogitans, rarissimum id esse opinor; vires enim plerumque adeo ex morbi effectibus sunt fractæ, ut vitam, donec absorbendi opus perficiatur, nisi copia humoris sit admodum exigua, sustentare nequeant.

Si etiam absorptio fiat, vix minus certa mors erit; vulgo enim in tantum læditur partium fabrica, ut exitus lethalis non sit evitandus.

QUÆ, CADAVERE PATEFACTO, VIDENTUR.

Capitibus eorum, qui hydrocephalo deperierunt, reclusis, nihil tam sæpe observatur, ac humor in ventriculis collectus; hi omnes nonnunquam sunt repleti, ne quinto quidem excepto; aliquando unus tantum aut duo sunt pleni. Humoris copia, a drachmis aliquot ad uncias octo vel plures, varia est; necnon haud raro effusio in summo cerebro tunicam arachnoideam inter et piam matrem conspicitur. Humor, quam qui in

ascite vel hydrothorace reperitur, purior et magis limpidus, sed ejusdem generis est, nisi quod plerumque minus materiæ coagulantis continet*: aliquando cruentus aut turbidus videtur, et quidam in eo floccos lymphæ coagulabilis conspexerunt; interdum puris naturam refert.

Berzelius hunc humorem arte chemica dissociavit, et partes 1000 ex aquæ 988.3, albuminis 1.66, muriatis potassæ et sodæ 7.09, lactatis sodæ, ejusque materiæ animalis 2.32, sodæ 0.28, et materiæ demum in aqua tantum solubilis, cum pauxillo phosphatum 0.35, constare comperit†.

Meningum summique cerebri vasa sanguine turgent; pia mater ubi se inter cerebri gyros demittit, ventriculosque investit, necnon plexus choroidei, inflammationis vestigia repræsentant; membranæque interdum solito crassiores et strato lymphæ coagulabilis obductæ, parietesque ventriculorum eodem nonnunquam præmuniti, recluduntur. Mediæ cerebri partes haud raro præ se ferunt istam insignem mollitiem, cui apud

---

* Vide Baillie's Morbid Anatomy, vol. ii.

† Medico-Chirurgical Transactions, vol. iii. p. 252.

Gallos nomen est "Ramollissement," quamque ROSTAN, LALLEMAND, et ABERCROMBIE, inflammationis sequelam esse opinantur. Quum cerebrum ipsum inciditur, puncta sanguinea solito plura et ampliora, ob vasorum magnitudinem auctam, sæpe videntur; haud raro fornix et septum lucidum ad pulpam meram sunt redacta, et foramen, quo inter ventriculos commeatus est, adeo jam patet, ut humori ab alterutro in alterum facilis sit transitus.

Nonnunquam mollities ista aliaque inflammationis vestigia, vasaque turgida, citra ullam in ventriculis effusionem, reperiuntur.

Hydatides quoque tumoresque varii in cerebro membranisque eorum, qui hoc morbo periere, conspecti fuerunt; glandula pituitaria interdum solito amplior et dura est.

Quibusdam in exemplis nihil omnino morbidum detegi queat, accuratissima etiam inquisitione instituta, quamvis inter vivendum morbi istius signa satis certa sese prodiderant; in his autem aspectus quidam morbidi in aliqueis viscerum abdominis plerumque inveniuntur: ABERNETHY exemplum hujusmodi unum tradidit. Hepar sæpe amplificatum, peritonæo adhæret,

notasque inflammationis exhibet; intestina sunt inflammata interdum, quibusdam scilicet partibus constrictis, vel una in aliam delapsa. Haud raro ampliores solito glandulæ mesentericæ, necnon glandulæ cervicis lymphaticæ, inveniuntur; et profecto in iis, qui hydrocephalo mortui sunt, raro non aliqua in abdominis visceribus, si modo curiose inspiciantur, morbida vestigia reteguntur.

Doctor Abercrombie * historiam narravit pueri ætat. 7, qui symptomata hydrocephali similia vivus exhibuerat, mortuus vero nihil cerebro morbidum ostendit; sed, theca vertebrali patefacta, humor intus, et in medulla spinali inflammationis vestigia, visui occurrerunt.

DE MEDENDI RATIONE.

Non segniter, non lente, hic agere licet. Cum morbo enim periculoso, et, ni statim ad medicinam decurratur, lethali, est pugnandum. Curatio fausta a morbo quam maturrime detecto, et remediis præsentibus adhibitis, pendet; his omis-

* Diseases of the Brain, p. 345.

sis, futile medici conamen, medicina ipsa inanis.

Quamvis diagnosis non prorsus certa sit (quod, ob signa morbi abnormia, aliquando fieri potest), non ideo nobis morandum est, et, levibus aliquibus medicamentis imperatis, operam ludendum spe scilicet fretis, symptomata non a hydrocephalo oriri, et cito abitura esse; mora enim ista ægri vita periclitabitur; et curatio strenuissima parum mali, multum boni, afferre possit.

Medendi consilia sunt,

1mo, Ut actio nimia in capite subigatur.

2do, Ut humor jam effusus, si fieri potest, absorbeatur.

3tio, Ut graviora symptomata deleniantur.

Remedia ad hæc peragenda consilia efficacissima sunt, Sanguinis detractio, Cathartica, Epispastica, Frigus, Hydrargyrus, et Digitalis.

Detractio Sanguinis, ex omnibus, quæ nobis competunt, actionem vasorum auctam imminuendi rationibus efficacissimis una est; neque ideo unquam in robusto et valido ægrotante omitti debet; nec ita, ut corpus universum modo, sed ut partes præcipue simul depleantur, facienda est.

Quod ad hoc tamen remedium attinet, nunquam oblivisci fas est, infantes jacturam sanguinis neutiquam bene tolerare, ideoque in minimis et tenerrimis infantibus ad sanguinis missionem generalem confugere alienum foret. Præterea, quoniam inflammatio sæpe in hoc morbo lenta est, et indole strumosa notatur, non pariter ingente copia detrahenda opus est.

Hirudines fronti et cucurbitulæ cruentæ nuchæ vel temporibus impositæ magnopere prosunt, et hoc modo sæpe solo, ubi vires multum fractæ sunt, sanguinem detrahere licet.

Recte inciditur vel vena jugularis, vel arteria temporalis, ob viciniam enim congestio in capite ita haud parum levabitur.

In curatione præ omnibus votum est, ut actio vasorum cerebri aucta ante compescatur, quam debilitas aut effusio accesserit. Si igitur prima sanguinis missione symptomata non subleventur, brevi tantum interposito spatio, repetenda erit. "But long experience has taught me," ait Doctor Golis, "that when the first bleeding was sufficiently large for the vehemence of the symptoms, a second was seldom required; and that repeated small bleedings never so quickly and

surely fulfil the wished-for object, as one full one at the proper time *."

Quamquam liberæ sanguinis inter initia detractioni multum ipse confidere vellem, non tamen nisi caute adhibendum est remedium, ne scilicet tanta inducatur infirmitas, ut nunquam exinde revaluerit æger, et ne sera sanguinis missio effusionem augeat. Quidam profecto ob hanc causam sanguini mittendo prorsus repugnant. Non autem ita nocebit, nisi sero nimis adhibeatur, nec magis igitur remedium hic, quam in pneumonia, vetandum est, ne scilicet in pectore effusio fiat.

Quantum sit detrahendum, ex ætate viribusque ægri, a statu pulsuum et vehementia signorum, dijudicare oportebit. Hoc remedium iis in exemplis, ubi actio intenta est, maxime, ubi minor, minus, proderit. Exempla morbi quædam esse possunt a summa debilitate exorta, ubi non omnino tale remedium tentare fas sit.

Ob astrictam in hydrocephalo alvum *Cathartica* plane postulantur, et ea tam tuta quam uti-

---

* Golis on Hydroceph. acut. translated by Gooch, p. 129.

lia esse inter omnes convenit; neque profecto in ullo morborum genere, quam in vitiis cerebri, magis proficiunt. Stercore aggesto, irritationem semper ciente, intestina expurgant, et, actionem ibi excitando, humorum ad caput versus auctum impetum imminuere adjuvant. Porro vitia bilis secretionis hunc morbum tam sæpe comitantia corrigunt, et si morbus etiam ad ultimum decurrat tempus, vehementiam convulsionum saltem temperabunt. In morbo provectiore, purgantibus opus est, ut alvus exinaniatur, et, ob torporem maximum, acerrima postulantur.

Initio aliquod catharticum valens bis terve die exhiberi debet, donec alvus plene solvatur, quæ, si fieri potest, per totum morbi cursum soluta præstanda est. Intestinis ita purgantium stimulo subditis usque, maxime percipientur beneficia; dolor capitis febrisque symptomatica levabuntur.

Pro purgante in hoc morbo Calomelas usitatissimus fuit, et cum Aloë, Gambogia, Scammonia aut Jalapa conjunctus, fortasse cæteris omnibus antecellit. Oleum Terebinthinæ utilissimum reperietur remedium, quippe quod cito suos præstet effectus, et pro vehementi purgante sit; neque

quidem parce exhiberi debet. Ubi alvus pertinacissime est astricta, vomitusve adeo urget ut ventriculo nihil insideat, Oleum Crotonis Tiglii utilissimum reperietur ; gutta enim una alterave linguæ imposita ad liberam dejectionem sufficiet, utcunque dura alvus fuerit. Summum quoque beneficium enemata sæpe præstant.

Vesicatoria auxilia valentissima reperientur. Ad morbi initium capitis dolorem levant, et irritationem vicariam ciendo congestionem in capite imminuent ; et sub finem humoris effusi absorptionem adjuvabunt. Inter initia potius nuchæ quam ipsi capiti sunt imponenda, sic enim posita forsan plus valebunt, neque ne frigus, remedium nempe hoc tempore utilius, capiti admoveatur, prohibebunt. In morbo provectiore, quum inflammatio recessit, omnibus capitis summi partibus magno cum commodo apponi queant. Magna esse debent vesicatoria, et sæpe repeti possunt ; humorisque fluxus exinde illito unguento Juniperi Sabinæ, promovendus est. Doctor Monro vesicatorium amplum ex Tartrate antimonii et unguento ceræ confectum, quod non, ut meloë,

stranguriam cieat, capiti imponi jubet. Doctor C. SMYTH medicamenta adurentia bregmati imposita vesicatoriis anteponit.

Vesicatoria vel Sinapismata suris vel pedum plantis admota, humores deorsum derivando, utilia esse putantur. Lentius operantur setacea, quam ut in hydrocephalo acuto tractando multum prodesse possint; ideoque in morbo potius præcavendo proficiunt.

Frigus admotum, post sanguinis detractionem, in inflammatione intra caput debellanda maxime valet, ususque ejus beneficia maxima pollicetur. Capiti raso pannos ex aqua frigida, vel sola vel cum aceto mista, usque appositos tenere oportet. Hi sæpe sunt renovandi, vel vesica glacie contrita plena admoveri, vel rivus aquæ frigidæ in caput aliquamdiu dirigi, potest. Mirum est quantillo tempore, per quamlibet ex hisce rationibus, impetus ad caput nimius minuatur.

Hydrargyrum, præ cæteris medicamentis, in hoc sanando malo, maximas sibi asseruit laudes; ei soli multi confidunt, multaque ejus potentiæ

efficacis documenta a medicis diversis in medium prolata sunt *.

Quidam in ipso morbi initio usum hydrargyri incipere suadent, recte, an secus, dubium esse videtur; namque ejus est proprium circuitum sanguinis intendere, incitationemque generalem facessere; et, si primi morbi temporis signa jure inflammationi referuntur, hanc ab eo, nisi sedulo præcaveatur, auctam fore manifestum est. Ante, igitur, quam adhibeatur, sanguinem, ut inflammatio debelletur, mittere opus esse videtur, et, hoc facto, usus hydrargyri statim incipiendus est, et sedulo continuandus, experientia enim multorum celebris famæ medicorum utilitatem ejus comprobavit. Doctor ABERCROMBIE hoc anceps remedium esse habet, usumque ejus inconsultum, in prioribus præcipue temporibus, non posse non nocere credit; et Doctor RUSH, de eo locutus, ait, "Perhaps my repeated failures in the use of this remedy, were occasioned by my giving it before

---

* Vide exempla morbi hujus per hoc medicamentum a Doctoribus DOBSON et PERCIVAL feliciter tractata, Edin. Med. Comm. vol. vii. & viii.

the inflammatory action of the system was sufficiently subdued by previous evacuations *."

Ita hydrargyrum dari debet, nempe per magnas et sæpe repetitas portiones, ut constitutio quam citissime ejus actioni subigatur; namque ob cerebri conditionem, portiones exiguæ parum valent; atque præterea in memoria servandum est, infantes quam adultos, pro rata, ampliores portiones sustinere posse. Aut Calomelas, aut Pilulæ Hydrargyri, aut Unguentum Hydrargyri, medentis consilio conveniunt. Submurias cæteris hujus medicamenti præparatis in usum infantum fortasse præstat. Simul, dum is exhibetur, unguentum feminibus et per spinam dorsi infricare juvat. Si calomelas dolorem aut tormina intestinorum civerit, usus ejus omitti, sed interea eo plus unguenti infricari debet. Sæpe difficillimum est constitutionem hujus medicamenti actioni in hydrocephalo subigere, non adeo tamen, si prius sanguis missus est, ita enim mirum in modum corpus ad actionem hydrargyri suscipiendam aptatur †.

---

* Medical Inq. and Obs. vol. ii. p. 227.

† Vide McGregor's Medical Sketches, p. 178.; and Armstrong on Typhus Fever, p. 162.

Doctor C. Smyth se Scillam maritimam cum hydrargyro compositam bono cum eventu adhibuisse dicit.

Fumigatio ex Sulphureto Hydrargyro rubro, quoniam ita constitutio celeriter afficitur, ratio mercurium adhibendi nonnunquam optabilis esse posset, præcipue ubi medicus non ante arcessitus est, quam effusio accessit, et spes unica morbum sanandi a corpore quam citissime per hoc remedium affecto pendere videtur. In hoc morbo hydrargyrum, vel absorbentia incitando, vel alvum solvendo, vel denique fellis secretionem corrigendo, effectus suos edere valet.

Digitalis haud parum, nec inutiliter ut multi volunt, in hydrocephalo usurpata fuit. Quippe quia vim frequentiamque pulsuum temperare solet, in primo tempore proderit, et in posteris quoque absorptionem expediendo utilis esse queat.

Validissimum est medicamentum, et, ob effectus ejus incertos, cautissime parvulis dari debet; hi sunt igitur curiose observandi, ut a noxis tam valentis medicamenti parum caute adhibiti præcaveatur. Quoniam nimis parum ejus nihil valet, usus est continuandus usque dum aliquid plane

efficiat; quum primum vero pulsum, renes, ventriculum, intestinave affecerit, vel omnino omitti, vel copia saltem minor assumi, debet. Quum neutiquam primo in aperto sit, quantum singuli ægri perferre possint, semper idoneum erit, a parva portione paulatim augenda incipere; quod enim hujus medicamenti hunc ne minimum quidem afficit, illi aliquando fere veneno fuerit.

Ubi tanta debilitas urget, ut sanguinis detractio vetetur, vel ubi jam quantum tuto fieri potest detractum fuit, nec tamen sublevata sunt symptomata, digitalis plurimum beneficii pollicetur, namque per eam impetum et celeritatem cordis actionum minuere, pariter ac sanguine detracto, nec pari debilitate inducta, possumus.

In hydrocephalo tamen, quod non in cæteris morbis, huic medicamini quoddam est objiciendum, nempe quod symptomata cieat, iis quæ secundum morbi tempus insigniunt, adeo similia, ut vix aut ne vix quidem inter se dignosci queant: pulsus, scilicet, tardus et abnormis fit, vires omnes vitæ sunt imminutæ, urgent nausea, visus caligo, et vertigo. Pulsus tamen ex digitali tardus, simul exilis et acer esse fertur; ex hydrocephalo vero mollis, abnormis, et aliquanto plenior.

Languor ex digitali sumpta comitem habet vertiginem, sed a hydrocephalo exorsus ad soporem potius spectat.

Hujus medicamenti dantur Infusum, Tinctura, Pulvis; illa duo huic præparato sunt anteferenda.

Quidam haud parum beneficii Pulverem Jacobi afferre putant; et, quoniam vasa cutis solvit, forsan, æquilibrium humorum circuitus instituendo, congestionem in capite levabit. Doctor Monro hunc pulverem cum Calomelane conjunctum, magna cum utilitate exhibuit.

Morbo currente, multa oriuntur signa graviora, levamen aliquod vehementer postulantia; et quum ad ultima jam ventum est, et spes fere omnis destituitur, medicum oportet, quatenus fieri potest, cruciatus ægri delenire et ἐυθανασιαν saltem moliri.

Ad vomitum perpetuum sublevandum, opiatis nonnunquam opus sit, plerumque vero iis uti non licet; haustus effervescens forsan huic consilio conveniet. Magno urgente calore, adhibeantur quæ refrigerent, vel sudor lenis per pediluvium aut balneum calidum evocetur. Capitis dolorem demulcere solent hirudines temporibus, aut vesi-

catorium nuchæ apposita. Æther Sulphuricus fronti impositus, vaporando et ita refrigerando, idem forsan efficiet.

Durante morbo, vires parvuli victu nutriente sustinere oportebit. Hic ad initium quam mitissimus esse debet, et ex jusculis levibus, gelatis, rebus quæ farinam habent, et lacte, constare; et, morbo inclinato, aliquod roborans, velut Cortex Cinchonæ, vel aliquando vinum, necessarium esse potest. Æger in conclavi amplo, aëre pleno, frigidulo, luce clara exclusa, haberi debet; et, cum decumbit, caput semper subjectis pulvinaribus suffulciendum est.

DE PROPHYLAXI.

Quum plerumque, superatis omnibus medicinæ auxiliis, ad operam medicatricem natura deficiente, hydrocephalus in lethalem decurrat exitum, morbum præcavere summi refert; ideoque pauca de prophylaxi proponam.

Juniores, quorum parentes indole strumosa sunt imbuti, et quos ad morbum proclives esse

novimus, summa cura tractandi sunt, et sanæ nutricis lacte ali debent. Ab omni alvi perturbatione, potissimum constipatione, præcavendum est, dato subinde aliquo leniter laxante, si opus fuerit ; nihil enim pluris interest, quam ut instrumenta concoquendi sana et recte agentia præstentur.

Si symptoma quidlibet a capite affecto pendens metum incusserit, fluxum humoris a vicinis partibus per vesicatorium aut setaceum ciere decebit ; et quicquid sanguinis impetum caput versus adaugeat, sedulo evitandum erit. Dum ludit parvulus, ne capite diu prono inclinet, quod pueri ludentes sæpe faciunt, caveatur.

Anne consuetudo hodierna animos parvulorum tam tenera ætate ad literarum labores flectendi, morbum freqüentiorem reddit ? Verisimile est talem effectum, cerebro nimis, et nimis mature, excitato, profluxurum esse ; et hoc eo verisimilius hinc videtur, quod parvuli præter solitum vivaces et ingenio præcoces præ cæteris huic diræ pesti succumbunt. Quum igitur proclivem esse aliquem suspicio subest, educatio melius aliquamdiu differtur.

Epistaxis in pueris sæpe fit, neque, rebus se ita habentibus, ea, vel quævis solita exinanitio, temere aut repente compesci debet. In iis, quæcunque acciderit capitis injuria, plus quam solita animi attentione, curare oportebit.

FINIS.